

A. F. J.

DISSERTATIO GRADUALIS,
APHORISMOS X.
PROPOSITURA,

QUAM

Conjensu Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboensi,

PRÆSIDE,

VIRO MAXIME REVERENDO atque AMPLISSIMO

D_{N.} PETRO KALM,

Oecon. PROF. Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Holm.

nec non Societ. Lit. Upf. MEMBRO,

Publico examini submittit

GUSTAVUS AVELLAN,

V. D. M.

In Audit. Maj. d. XXVIII. Junii Anni MDCCCLXVI.

H. P. M. C.

A B O Æ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



APHORISMUS I.

Son desunt, qui amorem DEI purum in eo consistere existimant, ut quis ob infinitas ejus perfectiones solas Iplum amet, quum autem hæc notio naturam amoris, quippe qui semper bonum aliquod relativum respicit, quasi evertat, non possumus non eam rejicere.

APHOR. II.

Quamvis plurimi sint, qui polygamiam simultaneam defendunt; tam valida tamen argumenta horum sententiæ obposita in S:a S:a nobis fese commendant, ut eam licitam esse, vel fuisse, nunquam nobis persuadere possimus.

APHOR. III.

Quamvis ad quæstionem an mundus creari potuit ab æterno, in utramque partem a Theologis pariter ac Philosophis responderi soleat, quutn tamen

fa-

sana ratio doceat id quod ab æterno est esse æternum, neque creari posse; sententiam negativam nostram facere non debitamus.

APHOR. IV.

Ex definitione legis liquet, ad eam essentialiter pertinere, ut non modo determinet quid sit agendum quidque omittendum; sed etiam præmia & pœnas connexas habeat, leges igitur permissivæ, quas vocant, non sunt leges, quoniam definitio legis in eas non quadrat.

APHOR. V.

Impium esset S:ram S:ram erroris aut mendacii idcirco arguere, quod de rebus physicis loquuntur vi
ri Θεοπευστὶ non secundum rei veritatem sed vulgi o-
pinionem, si enim ad scopum S:tus S:ti adtendere ve-
limus, eum esse patet, ut quæ ad æternam beatitu-
dinem sunt necessaria doceantur, multitudinem vero
in præjudiciis suis ad salutem non noxiis relinquere,
ei non repugnat.

APHOR. VI.

Quamvis Davides distulerit pœnam Joabi, quatenus status reipublicæ id svaserit, & ipsius opera Rei-
publicæ tum fuerit necessaria; Quum tamen spe im-
munitatis sæpius fuerat abusus, non modo cæde Ab-
neri & Amasæ, sed etiam morte Absalonis, contra
expressum præceptum Davidis, & ipse rex in regno
nondum confirmatus, pœna capitis Joabum plectere
non potuit, jure dat filio suo mandatum de eo non
parcendo.

APHOR.

APHOR. VII.

Uti summa est stultitia differre electionem certi
vitæ generis, ad multos annos; ita nec minor impru-
dentia tam se in hoc negotio gerere præcipitanter, ut
divinæ vocationi non habeatur ratio, & male elegisse,
progressu temporis, aliquem pœniteat.

APHOR. VIII.

Uti certissimum, beatissimum Sveciæ regem Gu-
stavum I:um patriam nostram e tyrannide Papæ
liberasse, nosque luce Christiana per divinam gra-
tiam beasse, ita nec dubitandum, summam ejus pru-
dentiam in tolerandis ceremoniis Papisticis supersti-
tione involutis, plurimum ad id contulisse, ut felix e-
ventus operum ejus sequeretur.

APHOR. IX.

Quid autem mirum paulatim tempore reformatio-
nis exuendam fuisse superstitionem, ex animis inficitæ
plebis, quum adhuc hodie in tanta luce Christianismi
multum superstitionis in rebus physicis supersit, quæ-
que tam altas radices apud multos egerit, ut ad expe-
rientiam provocantes ad exempla adtendant dum casu-
res eventui respondet, quæ in opinione ab avia hausta
eos confirmant, exemplaque contraria licet millies
plura flocci faciant.

APHOR. X.

Plurima omnino sunt argumenta, quæ artem
scriptoriam usque adeo comprobant esse antiquam;
ut tempora Mosis eam longe antevertere jure
existimari queat.

